



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsarisi|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Scaliger Candido Lectori XC.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

phiæ recessu ab ipsa natura & latæ & fixæ essent. Hoc enim maxime modo spero, iam meliuscule esse literis Latinis : quarum equidem vsum multorum doctissimorum virorum opera propemodum perfectum arbitror : rei ipsius originem , atque radices, haec tenus aut ignotas, aut nondum proditas saltem : vt languenti huic philosophiæ parti , ac pene brutæ iam nunc demum mens aliqua data esse videatur. Tuā vero, mi Gryphi , verā pietatem, excellētē eruditionem, insignem humanitatem his nostris lucubratiunculis & præesse volui, & moderari: si id tibi ita collibuisse, ut posteri intelligerent eius frugis prouentum , si qua ad eorum commoda per nos exulta esset , a nobis tantum commendari , quantum ex diligentia tua , atque auctoritate gratiæ consequi potuisset. Vale, pridie Nonas Februarias. M.D.XL.

SCALIGER CANDIDO

LECTORI XC.

IANVS Maumontius, vir & generis nobilitate, & linguarum, Naturæ , Dei cognitione illustris , cum librum meum de subtilitate Lutetiam perferendum curasset :

S 5 ali-

aliquot post dies scripsit ad me de Cardani morte. Deinde petiit, vt se facerem certiorrem, vtra ex editione loca excepissem, quæ digesta essent ad meas disceptationes. Postremo, quid sibi vellent numerorum notæ, quæ marginibus a scriptæ essent. Quod ad Cardani interitum pertineret, respondi, cum maturum illi ipsi viro nunquam satius laudato fuisse: quippe cui nihil fere superesset ad perfectam eruditionem: nobis totique Reipubl. literariæ acerbissimum, qui quotidianis eius tum inuentis, tum iudiciis magnam studiis nostris accessionem fore sperabamus. Me præter ceteros priuatum esse non solum teste, verum etiam auctore meorum studiorum. Quod ad editionem attineret, mihi præter unam notam esse nullam. Non enim in hasce terras perferuntur vel libri, vel librorum fama de Philologia: sed circumferuntur potius mercaturæ commentarii, aut forensium libellorum facci pleni. Vbi primum editi fuissent libri Cardani de subtilitate, quam recentissimos missos ad me esse Lugduno a Piscilla Lucensi trapezita. In iis me tum præcipitem adeo exercuisse, paucissimis diebus, ut quantum extat nunc explicarim. Quare ordine eodem, quo scribit

bit ille, me etiam saepe in iuitium tractum potius quam obsequutum. Numerorum vero notas, quibus C litera esset adiuncta, partim capita librorum Aristotelis, qui in contextu scribuntur, designare: partim portiunculas commentariorum Auenrois, quibus ille philosophi loca minutiores in partes secuit, quo commodius hærerent sententiis explicationes: id quod a Philopono quoque & Alexandro factum vides. Vbi vero litera illa nulla est, simplicibus illis numeris portiunculæ illæ capitum Aristotelicorum indicantur. Auenrois autem dispositiones secutus sum, propterea quod primis Lycei sacri initiatus in illius viri verba iurare coactus sum a præceptoribus meis, Buccaferra, Petro Pomponatio, Zimarra, Tiberio, Nipho: qui, ut ingenue fatesar, saepius Aristotelem ad Auenroin, quam hunc ad illum referebant. Hac in re ne quid tibi negotium faceret, haec ad Maumontium scripsi: cui, quantum non poenituerit te mearum lucubrationū, impræsentia debes: Vascosano vero de mea dignitate optime merito iampridem debuisti. Vale. M.D.LVII.

AD